

I.

PRIMUM inter Veteres Sacrosanctæ hu-
 ius Disciplinæ Alumnos locum haud abs-
 re THEOPHILO assignabimus, Sexto scil.
 illi Magnæ Ecclesiæ Antiochenæ Episco-
 po, Viro juxta nominis sui appellationem
 verè DEUM amanti, Deoque amabili;
 eiusque memorabilem à profanæ scientiæ
 vanitate ad Deum solidamq; pietatem ex-
 plicabimus manuductionem, ex ipsiusmet
 pariter ac priscorum aliorum monumen-
 tis conquistam: Is igitur (non Sancto
 Lucæ coæqualis, uti quidam volunt, rati
 scil. illum ipsum esse *Theophilum*, cui divi-
 nus Scriptor tam Acta Apostolorum quam
 sanctissimâ Evangelii opus inscripserit, sed
 cuius ortus à Seculi II. primordiis ac Tra-
 jani Imperantis initio est accersendus,) Pa-
 rentibus quidem fortuna honestis, sed
 Gentilium superstitionum errore involutis
 in hanc lucem editus, egregiaque ingenii
 indole præditus, seriò à teneris in omnem
 profanæ eruditionis disciplinam incubuit,
 inque coeca gentilitate, & à Magistris fidei
 ignaris, imò & totis in terrena defluentibus
 edoctus, vix tantum bonæ eruditionis,
 quan